



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectvra Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

3. Architectus Christianus Virtutibus præditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](#)

Deus omnes novit æqualiter? nonne scientia infinita omnes æque comprehendit? nonne Deum nihil latere potest? ita est, si sit sermo de *Scientia seu notitiâ purè, spen- enlativâ*; at si practicam attendas, & illam signatè, quæ dicitur *Approbationis*, quosdam solum ea respicit, qui approbantur & diliguntur peculiariter, nempe, illos quos novit, & vocat ex nomine. Significavit igitur paræmiali phrasî illa Deus, Beseeleem sibi ceteris magis familiarem, uti & Moysem: quippe, quum non de facie tantum, nec monitu nomenclatoris ut solent Principes plerosque suos subditos nosse, sed de nomine neverit, vocaveritque, quod inter homines est maximè familiarium & conjunctissimorum. Sic Deuteronomii secundo scribitur. *Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum*: id est, approbavit, direxit, favit iter facienti, Chaldæus paraphrastice: omnia necessaria affatim suppeditavit. *Psalmus i*, eodem intellectu, *Novit Dominus viam iustorum: & altera ad Timoth. secundo, cognovit Dominus, qui sunt ejus, scivit, approbavit, dilexit.* Illos igitur donat Deus cœlesti Architectura, quos amat eximie, & familiaritate sua prius est dignatus.

ARTICULUS III.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

Virtutibus prædictus,

QUONIAM proprium est Amoris divini, ut bonos dignosque diligat, & prius, si non sint tales, faciat est enim id ejus potentiae, in cuius manu sunt corda hominum, facile colligas, singularem constantissimamque voluntatem illam, qua fertur erga eos: quos ex nomine agnoscere, & vocare dicitur, consistere non posse nisi

nisi cum eximiâ quadam morum integritate , & sanctitate vitæ, quæ cum exercitatione virtutum cō:uncta est. Et sanè in Architecto non solùm iudicādi operandi-
que egregiam facultatem, sed præclarissimas etiam ani-
mi virtutes profani æque ac sacri auctores exigunt.
Censem etenim & scientiâ imbutum esse debere haud
vulgari, ne ignoratione peccet in opere: & moribus inte-
gerimum, ne cupiditate, aut malitia transuersum aga-
tur.

Ob quam causam Vitruvius optimus Architecton-
icæ Magister, cuius opera etiam hodie omnium manibus
teruntur, varias in linguis transfusa, Architectum Phi-
losophiæ præceptionibus volebat esse eruditum , quod
ijs, propter Ethicam, morum integritatem posse aequi
,, existimaret. Ita autem differebat. *Philosophia perficit*
,, *Architectum animo magno , & uti non sit arrogans, sed potius*
,, *facilis, equus, & fidelis, sine auaritia, quod est maximum: nullum*
,, *enim opus sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus,*
,, *neque in muneribus accipitendis habeat animum occupatum, sed*
,, *cum grauitate suam tueatur dignitatem : bonam famam ha-
bendo. Hæc Philosophia præscribit Platonica & Aristotelica: plura de fide, spe , charitate, de cultu religionis,
de sacris & cæremonijs, virtutibus infusis etiadquisitis,
alijsque ad Euangelicam perfectionem spectantibus
adiungit Philosophia Euangelica , secundum quam vi-
uere debet Architectus Christianus.*

ARTICULUS IV.

SPIRITUS DEI

in Architecto Christano.

PLENIUS superiora , & multa alia complexus est
Deus, dum dixit , ad Architecturæ disciplinam
capiendam, se impleuisse Beseelelem Spiritu Dei. Spi-

D S Ritus